



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Iure Patronatus. Consilium CCCCLXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

gium inducitur; & ut exorbitans à jure communi per subauditos intellectus inducenda non est, c. Sanè c. Cum cappella de privileg. Quinimò præsupponit illa testatoris providentia ordinariam subjectionem, dum præfatis duobus Prioribus dictorum Conventuum nihil permittit sine Superiorum consensu. Nec ad rem pertinet, quod & testamento ac dictæ auctoritatis seu consensus literis imperetur renuntiatio omnium ac singulorum privilegiorum à quibuscumque Superioribus habitorum, vel in posterum desuper acquirendorum, quibus mediocribus disposita in testamento in toto vel parte mutari, infringi, vel diminui possent: * nam ea renuntiatio applicari & accommodari non potest, ad tollendam ordinariam dicti Ordinis superioritatem & subjectionem (cuius visitandi annexitur atque includitur, c. 1. §. hanc autem de censib. lib. 6.) sed tantum ad ea tollendum, quibus promissio facta de tenendis ac firmiter observandis his, quæ testator disposuit, ne aliquo modo infringi aut impediti possit. Ita enim conjunctim scriptum est; tenere, ac debere & firmiter observare cum renuntiatione omnium ac singulorum privilegiorum &c. Ita ut non satis percipiam, unde arbitri vel ex verbis testamenti, vel præfatis literis auctoritatis, ansam arripuerint pronuntiandi, quod jus visitationis & procurationis non competierit Patri Generali; * nisi (ut in præcedente nostro consilio dictum est) id conjunctim & connexe accipiat de visitatione plena, cui annexa sit exactio procurationis; præsertim cum visitatio per superiorem remitti non possit, quia in jure publico consistit, Innocen. in d. c. Cum ex officio de præscript. Socinus in d. tract. de visit. nu. 17. Quod deinde denuo proponitur à Priore Namurcensi adversus Priorem Goefensem, quod nominandi aut mittendi facultate carere debeat ex eo; quod redditum annuum sex florenorum ei in Capitulo generali ad opus hujus Collegij impositum, non solvat, summam improbabilitatem habet; tum quod hæc obligatio non cohereat testamento, unde facultas nominandi ac mittendi accipitur; tum quod alterius rei obligatio, alterius juris ei minimè coherentis exercitium aut usum non impediatur, cum Collegium Lovaniense actione Priorem Goefensem ad solutionem compellere deberet, argum. l. Venditor Cod. De rescind. vendit. & præterea promissio in acceptatione dispositionis supradictæ facta, hujusmodi contradictionem & oppositionem ex alia causa testamento minimè coherentem impediatur. * Sed supervacua est hæc cogitatio, cum proponatur, hunc redditum ex prima ejus constitutione redimibilem, intra triginta vel quadraginta annos solutum non esse; ita ut propter adminiculum præscriptionis, & cursus tanti temporis, præsumptio sit, eundem redditum secundum facultatem in ejus constitutione reservatam, redemptum & dequitatum esse, l. Sicut. l. Cum notissimi C. de præscr. 30. vel 40. annor. Quare perinde Goefensi monasterio (& multo magis quàm priore loco nominato) ut Namurcensi salva manet potestas Religiosos ex suo vel alio Monasterio studij causa ad hoc Collegium Lovaniense mittendi, aut Patri Superiori vices suas eâ in parte committendi.

De Iure Patronatus.

SUMMARIUM.

Ius Patronatus.

1. Beneficium Ecclesiasticum ab alio quàm qui conferendi potestatem habet conferri non potest.
2. Patronus laicus habet tempus quadrimestre præsentandi.
3. Confirmatio collationis invalida, tamquam rei non confirmabilis, non valet.
4. Collatio ante debitum tempus facta non convalescit debito tempore adveniente.
5. Collationis devolutio quomodo & ad quem fiat.
6. Patronus an & quando seipsum præsentare possit.
7. Patronus ius patronatus resutare & sequenti ordine relinquere potest.
8. Patronus per lapsum temporis præscripti cadit ipso iure à iure præsentationis.
9. II. Patronis pluribus de iure patronatus contententibus currit tempus conferendi.
10. Intellectus c. Eam te De iure patronatus.
12. Patrono currit tempus præsentandi sine administratione superioris.
13. Devolutio uti non cogitur superior nisi velit.
14. Posseßio beneficii ex inutili titulo obtenta confirmari potest ex superveniente utili.

CONSILIVM CCCCLXIX.

INTER Canonicatus & præbendas Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Aloftensis est unus Canonicatus, qui existit juris patronatus laicalis, à fundatore sic constitutus, ut senior masculini sexus ex ipsius hæredibus, habeat nominare seu præsentare Capitulo dictæ Ecclesiæ unum ex sua progenie, si quis idoneus repertus fuerit, eoque non reperto, alium idoneum presbyterum, quem Caputulum in dicto Canonicatu & Præbenda instituere habeat. Hic Canonicatus ex morte Domini Segeri Hugonis ejus ultimi Reftoris & possessoris, vacavit in mense Augusto; cuius sic vacantis, nondum lapsis quatuor mensibus à die vacationis, ab Archiepiscopo Ordinario loci collationem obtinuit D. Martinus Baccius; ex qua, obtentis literis Placeti Regiæ Catholicæ Majestatis, perfolutis Capitulo juribus receptionis, obtinuit & ingressus est realem possessionem ejusdem Canonicatus. Sed quoniam hujusmodi collationi in præjudicium patroni, durante quadrimestri facta, idem D. Martinus non confidebat, post lapsum quatuor mensium, nemine alio per senioreni masculinum ex hæredibus fundatoris ad hunc Canonicatum præsentato, obtinuit novam collationem ab eodem prædicto Ordinario, ex prætextu iure collationis, propter negligentiam patroni, post lapsum quatuor mensium ad ipsum devoluta: ex qua nova collatione obtinuit iterum realem possessionem, non perfolutis tamen juribus hujusmodi novæ receptionis. Postquam jure devoluta factam collationem, lapsis à die dictæ vacationis quinque mensibus, Ioannes Rastlegem, unus ex hæredibus fundatoris, non tamen senior, tamquam patronus ad hunc Canonicatum dicto Capitulo præsentavit Carolum Rastlegem, suum fratrem ætate senioreni; ex qua præsentatione idem Carolus quoque obtinuit à Capitulo canonicam institutionem; propter quam præfatus Dominus

Dominus Martinus instituit adversus dictum Carolum in Concilio Flandriae iudicium possessionis manutentionis, in quo dicto Carolo adjudicata est fiduciaria possessio seu recedentia. Queritur, uter istorum duorum contendendum potiora & apparentiora jura habeat in & ad hunc Canonicatum, tam respectu causae possessionis, quam proprietatis? Cujus proposita quaestiones resolutio, & definitio, ut commodior expeditiorque sit, inquirendum & resolvendum est, quae sit vis tituli, quem quisque horum contendendum praeferat. Primum igitur inquirendum est de titulo & jure praefati D. Martini; qui Actoris partes magis obtinet, & ad eas evidentius est per dictam fiduciariam possessionem adjudicationem redactus.

1. Hoc extra omnem dubitationem est, primam illam collationem Domino Martino per Ordinarium intra quadrimestre factam, nullam prorsus esse; ideo quod facta sit ab eo, qui eo tempore conferendi potestatem nullam habuit, l. Si filius C. de donat. c. Iura de iure patron. Rota decis. 10. alias est 528. Nota infra tempus de iure patron. in antiq. & pro dato non sit, quod ab eo datur, qui de jure dare non potest, c. Quod autem in fine de iure patron. * Cum enim praesentatio ad hunc Canonicatum ex illius fundatione sit reservata & debeat patrono per fundatorem designato; non potuit Archiepiscopus, seu ejus Vicarius tamquam Ordinarius loci, aut alius quicumque, faciem in alienam messem mittendo huic beneficio manus apponere, durante illo quadrimestri patrono laico ad faciendam praesentationem à jure indulto, c. fin. eod. tit. lib. 6. Vtiqueadè ut etiam per Papam simpliciter & viâ ordinariâ, facta beneficii patronati intra tempus quadrimestre collatio seu provisio sit ipso jure nulla, nec praedictet patrono, nec illi, qui ex patroni praesentatione institutionem canonicam in beneficio patronato obtinuit, Ioan. Andr. in c. 2. de praeb. lib. 6. Lapis alleg. 105. incip. Beneficia vacantia, decus consil. 126. In causa Domini Francisci sub fin. Nicol. Everard. Praeses consil. 37. Quidam Dominus Raso nu. 3. Ideoque nihil agere dicitur, qui ab aliquo impetrat beneficium spectans ad praesentationem alterius, qui non faciendo mentionem juris patronatus, patrono seu collatori suo obrepere dicitur, Angel. in l. sed si hac §. patronum de in ius vocan.

3. Cum igitur nulla fuerit haec Ordinarii collatio jure ordinario facta, nihil quoque prodesse poterunt literae Placeti Regiae Majestatis; quae tantum permiserunt usum seu exercitium collationis ab Ordinario obtentae, non etiam confirmant eandem; cum confirmatio hujusmodi collationum in manu laica, & nequidem ipsius Principis non sit, c. Præterea de iure patron. Et eo cessante confirmatio etiam ab eo facta, qui confirmandi potestatem habet, nullas vires dat, si non accommodetur rei confirmabili, Felin. in c. Postulasti de rescript. nu. 15. Ita ut hujusmodi literarum effectus dependeat à validitate vel invaliditate collationis, cujus usus dumtaxat permittitur per hujusmodi literas, quas ut impetrare non est necesse, quoad ordinarias collationes utiliter factas, ita & inuti-

Conf. Wamels. Tom. II.

liter & sine effectu obtinentur tunc, cum collatio est ipso jure nulla, vel ex quacunque causa invalida. Cum ergo beneficii Ecclesiastici possessio sine colorato saltem titulo obtineri nequeat, nullius quoque momenti fuit prior illa possessio per Dominum Martinum ex ista praematura Ordinarii collatione à Capitulo obtenta, Panorm. in c. Cum nostris nu. 23. de concess. praeb.

Quae etiam causa fuit, quod idem Dominus 4 Martinus conscientia hujusmodi vitii & nullitatis, post lapsum quartum mensem, quasi jam excluso patrono, & jure collationis seu provisionis de dicto Canonicatu ad superiorem indubitata devolutio, novam collationem ab eodem Ordinario impetraverit; nihil spei constituens in priore illa ante lapsum quadrimestre obtenta ab Ordinario collatione: quae usqueadè ab initio, & continuè nulla fuit, ut non potuerit convalescere ex superveniente & perdurante negligentia patroni post lapsos hos quatuor menses, DD. in d. cap. 2. de praeb. lib. 6. Boërie decis. 70. Rebuff. in praxi beneficior. tit. de devolut. nu. 32.

Quae sanè nova per Ordinarium post casum devolutionis ex lapsu quatuor mensium facta collatio, nihilo meliorem facit causam praefati Domini Martini; ob id, quod ut prior illa collatio ex defectu potestatis in ordinaria & naturali jurisdictione seu lege dicecesana fuit nulla, ex causis praedictis; ita quoque censeri debeat nulla haec posterior, facta itidem ex ordinaria sed accidentaria jurisdictione, quasi jure collationis ad Ordinarium devolutio propter negligentiam veri patroni, qui functus non fuerit suo officio praesentandi intra quatuor menses à morte praefati Domini Segeri: ideo, inquam, nulla est, quia nulla potuerit à dicto patrono ad praefatum Archiepiscopum loci Ordinarium esse devolutio; ob id, quod devolutio collationis seu provisionis de beneficio, ultra tempus praescriptum, propter negligentiam veri collatoris seu patroni vacante, fiat ad superiorem proximum, c. Si compromissarius de elect. lib. 6. Proximus autem superior est is, ad quem canonica beneficii, de quo queritur, institutio de jure vel consuetudine pertinet; etiam si Episcopo, vel Archiepiscopo inferior sit. Cum ergo proponatur, quod praesentatio hujus Canonici fieri debeat non Archiepiscopo, sed dictae Ecclesiae Capitulo, & illius canonica institutio pertineat ad idem Capitulum: manifestum est ad dictum Archiepiscopum non fuisse devolutam, nec potuisse devolvi hujus Canonici collationem seu provisionem; & ne quidem ex sequuta dicti Capituli alia nova negligentia; hoc est, si idem Capitulum intra sex alios menses non providisset de hoc beneficio; ideo quod Capitulum sit saeculare, ab ordinaria jurisdictione exemptum, & ab exemptis saecularibus devolutio fiat non ad Episcopum seu Archiepiscopum, sed ad Papam, c. Licet, c. Sicut de supplen. neglig. praefat. quia gradatim, non per precipitum seu saltum sit haec devolutio ad immediatum superiorem ejus, qui neglexit, Lud. Rom. consil. 361. In causa proposita n. 6. Et quamvis Episcopus non ordinarius, sed Apostolica auctoritate possit supplere negligentiam

K k

inferio-

inferiorum Collatorum regularium, d. Clem. 2. De suppl. neglig. pralat. id tamen perinde ei permissum non est in negligentia Collatorum secularium, DD. in d. Clem. 2. Et in negligentia regularium servandus adhuc est hic ordo; ut non fiat per saltum: hoc est, ut si quis inferior Episcopo sit, ad quem pertineat ius instituendi, aut confirmandi in beneficio; veluti si Conventus præsentare debeat Abbati; devolutio ad Abbatem tamquam proximiorum superiorem, non ad Episcopum fieri debeat, *Rebuff. d. tit. de devolut. n. 26.*

Manifestum igitur est, nullam fuisse Domino Archiepiscopo, seu ejus Vicario, potestatem conferendi hunc Canonicatum præfato D. Martino ex quacumque dicti patroni negligentia: & consequenter cum major non sit nullitas, quam quæ causatur ex defectu potestatis ejus, qui actum facit, evidentissimum sit, D. Martino nihil juris competere ad hunc Canonicatum, ideoque perinde in judicio petitorio, ut in pleno possessorio, obtinendi spem aliquam, rebus sic stantibus, habere non possit. Nunc inquirendum, an meliore loco sit præfatus Carolus Raffligem, cui recedentia jam adjudicata est; quasi apparentius sit ejus ius, & coloratior possessio, obtenta ex institutione dicti Capituli ad præsentationem pro parte Joannis Raffligem, tamquam patroni de persona dicti Caroli factam? In quo definiendo duo in questionem veniunt; prius, an dicto Joanni tempore hujus præsentationis competierit ius patronatus & præsentandi ad hunc Canonicatum; alterum, an idoneo ac debito tempore hanc præsentationem fecerit?

In priore difficultate facit, quod ut in facto proponitur, tempore vacationis hujus Canonici præfatus Carolus fuerit senior hæres masculus dicti fundatoris; & sic ex concurrentibus qualitatibus hæredis masculi, & majoris senii, ad eum, & minime ad Joannem ejus fratrem ætate minorem, pertinuerit hoc ius patronatus. Sicut etiam receptum est tunc, cum ex oratione fundatoris in limine foundationis cautum est, ut primogenitus solus succedat, cui soli inviolabiliter id servandum est, *Cæsar Lambertinus in tract. de iure patron. lib. 1. artic. 20. 2. q. princ. partis 1.* eaque consideratione videatur quasi impossibile esse, quod Carolus ex hoc iure patronatus pervenire potuerit ad hunc Canonicatum. * Nam à vero patrono, hoc est, à seipso præsentari non potuit; id expressâ juris constitutione prohibente, c. *Per nostras* De iure patron. c. *fin.* De institut. & ab eo, qui verus patronus non erat obtenta præsentatio nullius momenti est, propter defectum potestatis, d. c. *Quod autem* De iure patron. qui perinde Carolo respectu Joannis, ut D. Martino respectu Ordinarii nocere deberet. Et quamvis adversus hoc, quo dicitur, quod Carolus se præsentare non potuerit, dici & replicari posset, quod id bene potuerit, ex eo, quod hoc beneficium sit simplex beneficium sine prælatione & sine cura; & quorundam sit opinio, *late Cæsar Lambert. in tract. de iure patron. lib. 2. artic. 2. quasi. 6. princ. 8. partis 1.* dictam prohibitivam constitutionem, d. c. *Per nostras*, non habere locum in simplicibus beneficiis (quod an verum sit, non est hic definire necesse) ex ea tamen consideratio-

ne justificari non potest hic titulus, quem Carolus prætendit, non ex sua, sed ex fratris sui potestate: nam respectu sui constituitur voluntate, quia eo iure usus non est, hoc est seipsum Capitulo non præsentavit vel obtulit: respectu fratris defectus subest potestatis, l. *Multum interesi* C. *si quis alteri vel sibi* &c. quia si hic patronus non fuit, iure patroni uti non potuit: nemo enim alterius ius sibi usurpare potest, nec ex iure, quod non sibi, sed alteri adest, potest aliquid valide facere, l. 1. §. 1. *Si pars hæred. per. l. Solvendo* De negot. gestis.

Sic ut in proposito ad sustinendam præsentationem à Joanne factam necessum foret demonstrare quod Carolus hoc ius patronatus Joanni suo fratri, quamvis se natu minori istam præsentationem facienti sic consenserit, ut ius suum plane refutasse videatur, & refutando locum post se majori natu fecerit, *Anchar. consil. 27. Non irritato nu. 6. Nicol. Everardi Praeses consil. 37.* Quemadmodum in iure primogenituræ secundogenitus illud obtinet, si primogenitus iuri suo cedat, renuntiet, vel illud sequenti cedat: non aliter quam si primogenitus mortuus aut aliàs incapax effectus esset, vel fieret, *Tiraquel. de iure primogen. q. 3. nu. 5.* Ita enim & in usu juris patronatus secundo genito illud competit, si primogenitus refutet; vel illi renuntiet; ut ex facto consultus respondit *Ægidius Bellamera consil. 33. Quod si ad personam.* Quin autem & refutare & renuntiare huic iuri, sibi ex prærogativa senii competenti, dictus Carolus potuerit, dubitandum non videtur, c. *Ex iniquatione* De iure patron. *Cæsar Lambert. de iure patron. lib. 1. parte 2. art. 7. & 8. 2. quasi. princ.* potissimum quod sit facta ei, qui cessante hac renuntiatione per speciem successorii edicti, remoto dicto Carolo suo fratre, per illius mortem aut aliquam incapacitatem, ad hoc ius patronatus, ut senior hæres, perventurus erat, quia in habentibus symbolum facilior est transitus, §. *item finitur* Inj. De usus. l. *An mut. l. De acceptil. Ancharan. consil. 422. Vjo puncto nu. 4.* Ex hac igitur parte deficientis juris patronatus non recte oppugnetur hæc per Joannem de persona Caroli facta præsentatio.

In altero impugnationis articulo, quod hæc præsentatio sit facta post lapsos quatuor menses, vehementius urget. Ita enim constringit juris præscriptum de faciendi per patronum laicum præsentatione intra quatuor menses à die notæ vacationis, c. 1. De iure patron. lib. 6. ut statim per lapsum illius temporis ipso iure patronus, saltem pro ea vice, cadat potestate præsentandi, c. *Consultationibus* De iure patron. *Freder. de Sen. consil. 102. Nobilis quidam nu. 3.* & dispositio seu ordinatio beneficii pro ea vice statim & irrevocabiliter deferatur & devolvatur ad superiorem: & sic quidem, ut celeri præsentatione, post lapsum tempus factâ, rebus etiam omnibus adhuc integris, hoc est, nullâ per superiorem ex iure devoluto factâ alicui alteri collatione, patronus moram purgare non possit: ideo quod juris hoc præscriptum secum trahat executionem, *Panor. in c. fin. De iure patron. & in d. c. 2. De concess. præb. Lambert. d. tract. lib. 2. parte 2. art. 26. 1. q. princ. Rota decij. 263. qua est 6. sub tit. De iure patron. in novis.*

Nec

9 Nec est quod in proposito casu moram excusare possit contentio, quæ dicitur fuisse inter hæredes fundatoris: nam illa judicialis non fuit, sed extrajudicialis; quæ alioquin etiam judicialis fuisset, nihil fecisset ad temporis prolongationem, aut ad moram committendæ excusationem. Contentione enim seu lite non obstante intra tempus dictorum quatuor mensium vel sopienda est ipsa contentio, vel in contentione facienda præsentatio.

10 * Nam quod de sex mensibus in rescripto Alexandri deciditur, in c. *Eam te De iure patron.* referendum est ad ius patronatus Ecclesiasticum, quod largius tempus, sex videlicet mensium, præscriptum habet, d. c. 1. *De iure patron. lib. 6.* quod in laico (ut diximus) quatuor tantum mensium est, intra quod etiam jubentur patroni laici controversias juris patronatus finire, c. *Quoniam*, c. *Cum propter De iure patron. Panor. & alii in d. c. Eam te.*

11 * Equidem contentio & controversia inter plures patronos non est inter ea impedimenta, ob quæ patrono non currit tempus præsentandi, c. *Quia diversitatem De concess. præb. Rebuff. d. tit. de devolut. nu. 14. & 19.* ob id, quod non obstante contentione seu controversiâ, qui ius se habere putat, de iure & de facto præsentare possit. Potissimum cum etiam proponatur in facto, hanc contentionem non tam fuisse de ipso iure patronatus, cui scilicet illud competere, quam ex alia occasione, quam dederunt infelicia tempora ex bello intestino & subditorum rebellionem; quasi abolito aut abolendo statu Ecclesiastico, bona dicti beneficii re vera essent, aut reverti deberent ad hæredes fundatoris. Quæ sanè ex tam tristis expectationis vel cogitationis occasione controversia planè illiberalis & improbabilis censenda, minimeque in expectatione aut cogitatione ponenda, l. *Inter stipulantem §. sacram De verb. oblig. sed propter eam magis adhuc reprehendi & nullâ ratione excusari debuit mora in præsentatione admissa: etiam nulla extet Episcopi aut Capituli admonitio.* * Nam patronum à superiore admoneri debere, ut lapsu quatuor mensium in mora constitutur, nulla iuris constitutio requirit; sed sufficit vulgaris & communis beneficii vacantis notitia in loco ipsius beneficii; ex die, cuius notitiæ quadrimestre continuè currere incipit, d. c. *Quia diversitatem*, c. *Licet De elect. lib. 6. late Casar Lambert. in tract. de iure patron. lib. 2. parte 1. artic. 8. 1. quasi. princ. De cuius notitiæ defectu nihil etiam nobis proponitur, nec probabiliter proponi potest: ob id, quod Dominus Segerus in loco beneficii decesserit, & illius mors, & per consequens huius beneficii vacatio, vulgò omnibus nota fuerit; ideoque præfatus Ioannes illius ignorantiam prætereundum non potuit: cum lata culpæ adscribatur, ignorare quod palam constat, & vulgò ab omnibus scitur, l. *Lata culpa De reg. iur.**

Sed nec impedimentum, quod prætextitur ex præactis turbis & tumultibus temporum, excusationem adfert; quia illa non contingunt ius patronatus, nec facultatem præsentationis; nec impedimentum faciunt ei, qui præsens in loco est, & præsentem habet superiorem, cui præsentare possit: & qui rebus omnibus in eodem statu

Conf. Wamef. Tom. II.

adhuc stantibus, paulò post lapsum tempus quatuor mensium de facto præsentavit; & sic ex temporis malignitate impedimentum nullum paulò antè fuisse apertè demonstravit. Sic ut hoc respectu, hoc est, propter seriùs factam præsentationem, titulus ipsius Caroli, ut D. Martini, perinde vitiosus dici deberet, nisi unum obstaret, quod videlicet Carolus ex præsentatione hac seriùs facta obtinuerit institutionem à Capitulo.

Nam per huiusmodi institutionem & antecedentem admissionem præsentationis patroni post lapsum quadrimestre, & devolutionem ad dictum Capitulum factam, Capitulum censetur ius suum devolutionis contempsisse, & potestatem ordinandi seu disponendi de beneficio prout ei melius videretur, concessam, d. c. *Quoniam De iure patron.* ad effectum perduxisse per admissionem & institutionem ex præsentatione veri patroni, quamvis eâ vice dumtaxat, propter negligentiam suam, iure præsentandi privati, si eo superior uti vellet; non etiam si superior post tempus admissam præsentationem approbare, & ex ea præsentatum instituire vellet, Casar Lambert. *de iure patron. lib. 2. parte 2. artic. 27. 1. q. princ.* Potissimum quod hæc admissio & institutio facta fuerit simpliciter, absolute, & sine protestatione de non præjudicando iuri suo, & dumtaxat ad conservationem juris dicti Caroli, si quod ipsi ex dicta præsentatione competiret: quæ protestatio si facta esset, excluderet consensum Capituli in dictam præsentationem, aut saltem sic restringeret, ut ex ea nihil juris posset prætereundum Carolus; quia præsentatio ex defectu potestatis nullius momenti esset. Quo consensu & tacita approbatione exclusis, vitio nullitatis ex defectu potestatis manet obnoxia dicti Ioannis præsentatio; & per consequens nulla & sine effectu: ita quod ex ea consideratione omnino dici posset neutri ius ad hunc Canonicatum competere, sed illum adhuc vacare; & illius impetrandi, non à Capitulo, quod à iure suo per lapsum temporis etiam cecidit; neque ab Archiepiscopo, ad quem collationis ejusdem Canonici nulla fieri potuit devolutio; sed à sede Apostolica esse potestatem. Quò si animum inclinabit D. Martinus, necesse erit narrare prioris impetrationis vitium ex præcepti præventionem, & posterioris inutilitatem, propter defectum devolutionis: nam si ista non narrabuntur, obici postea posset D. Martinum intrusum fuisse; & ex intrusionis vitio non narrato, allegari iterum novæ impetrationis nullitas, *Doct. in c. Postulasti De rescript.*

Ex his facillè percipitur, cur D. Carolo adjudicata sit recedentia; quod videlicet dicta institutio Capituli ei facta titulum ipsius coloratiorem reddiderit; & quod in causam proprietatis, multò magis pleni possessorii, inquirendo videri debeat potiora jura habere idem Carolus; & ita quidem apparenter potiora, ut si adversus suam institutionem de persona Caroli factam, aliquâ protestatione Capitulum sibi non providit, in rei & juris veritate potiora censeri debeant. Non erit itaque consultum, ut Dominus Martinus in pleno possessorio ulterius procedat; nec ei necessarium, ut propter secundam admissionem seu receptionem ex posteriore Ordinarii collatione

K k 2

jure

jure devoluto factam, alia receptionis jura persolvat: idem quod dicta posterior tam collatio, quam admissio & receptio nullius momenti sunt, propter causas supradictas; & sic cessante causa receptionis, receptio ipsa sit nullius momenti, nec aliquid ob eam sit praestandum. Quod si validitas aut efficacia aliqua constitui posset in dicta posteriore receptione, perinde cessaret causa exigendi nova jura receptionis: quia prior receptio, pro qua jura semel soluta fuerunt, sufficere deberet.

¹⁴ Ut possessio beneficii obtenta vigore inutilis tituli, confirmari potest ex justo superveniente titulo; nec ob mutam causam possessionis tolli debet effectus prioris possessionis, l. Non solum §. quod vulgo de usucap. Anchar. conf. 229. Multa dubia, quae ex justo superveniente titulo, sine nova receptione vel possessione confirmari, & conservari debet, Decius conf. 191. In causa quae agitur nu. 11, Ioannes Bapt. Ferret. consil. 1. nu. 8. Et tantum abest, ut D. Martinus cogi possit ad solvendum jura secundae receptionis; ut etiam cogitare posset, an Capitulum cogere posset ad restitutionem jurium prioris receptionis, ex qua effectum non consequitur, evicto ab eo hoc beneficio per dictum Carolum, aut alium, qui forte hoc beneficium potentiori jure impetratum habebit, Steph. Beriran. consil. 211. Funicus quaestio vol. 1. parte 2. licet ex depravata consuetudine passim aliud servetur.

De Iure patronatus.

S V M M A R I V M.

Ius patronatus in resignationibus.

1. Patronati beneficii resignatio apud quem fieri debet.
2. Patroni consensus requiritur in resignatione & permutatione beneficii.
3. Iuri patronatus Papa derogare potest.
4. 6. Patronus quando & quamdiu possit contradicere resignationi vel permutationi.
5. Ius patronatus quando Ecclesiasticum & quando saeculare sit.
7. Patroni contradictionem quando Ordinarius contemnere possit.

CONSILIVM CCCCLXX.

ILLVSTRI Domino Comiti Hoochstratano partim ex fundatione & dotatione, partim ex concessione Apostolica, est reservatum jus patronatus diversorum beneficiorum, tam in Ecclesia de Herentals quam in Ecclesia de N. olim spectantium ad Personatum ejusdem Ecclesiae de N. per sedem Apostolicam dictae Ecclesiae de Herentals unitum & incorporatum. Et quoniam frequentibus resignationibus, quas dictorum beneficiorum possessores quotidie in manibus Ordinarii seu Episcopi, atque ejus Officialium seu Vicariorum faciunt, idem Illustris Dominus Comes raro occasionem habet jure suo patronatus utendi, & ad vacantia hujusmodi beneficia praesentandi: quaeritur, an resignationum hujusmodi usus in libera voluntate possessorum compermutantium, & extra consensum Illustris suae Gratiae esse debeat?

Ad quam quaestionem paucis respondetur, resignationem, quae fit de beneficio juris patronatus, sive laicalis sive Ecclesiastici; sive ex permutationis causa, sive ex alia simpliciter, faciendam esse non apud patronum, aut in ejus manibus, sed apud Ecclesiasticum, qui beneficii institutionem habet, hoc est apud Episcopum, c. Quasitum de rer. permut. vel Archidiaconum, aut alium interierem habentem Ecclesiasticam jurisdictionem, Cardinal. in Clem. 1. nu. 15 de rer. permut. Petrus de Vbald. in tract. de permut. benefic. quest. 4. nu. 25. Ita tamen; ut resignatione facta, si ea simplex est, requiratur patroni de alterius persona praesentatio; sin vero fiat ex causa permutationis, quia eo casu alii, quam compermutanti conferri non potest sic resignatum beneficium, sive resignatio fiat in manibus Papae sive inferioris, c. 1. de rer. permut. lib. 6. Clem. 1. eod. tit. requiratur patroni maxime laici consensus: adeo ut ejus consensu omisso, aut saltem non requisito, permutatio ex quorundam sententia, Petri de Vbald. in d. tract. de permut. benefic. quest. 6. nu. 36. Freder. de Seno in tract. de permut. quest. 50. nu. 52. Andrea Gammari in tract. de permut. benefic. part. 2. nu. 121. quasi ex defectu requisitae formae sit ipso jure nulla; aut saltem (quod communius receptum, Doct. in d. Clem. 1. Felin. in c. Cum Bertoldus nu. 15. de sent. & rejud. Rochus de Curie in tract. de iure patron. in verb. honorificum q. 3. nu. 4. Steph. Beriran. consil. 199. Viscontationis vol. 2. part. 1. & consil. 455. Vidi casum nu. 3. vol. 4. & sententias curiarum tam spirituum, Rota decis. 5. alias est 307. Permutatio facta de rer. permut. in novis & decis. 10. alias est 528. Nota infra tempus nu. 4. in antiq. sub tit. de iure patron. quam saecularium, Rebus. in praxi benefic. p. 3. tit. de permut. n. 21. Ioan. Papon arrest. lib. 3. tit. des benefices de patron. lay. arresto 1. confirmatum) per contradictionem patroni post receptam resignationem, & expeditam permutationem, annullanda & cassanda; quia patronus contemni aut negligi non debeat. Vique adeo ut nec in manibus Papae facta resignationis compermutatio, valeat in praedictum patroni laici; cum non praesumatur Papa illi derogare velle, d. Clem. 1. * hoc tamen discrimine, quod Papa etiam juri patronatus laico, praesertim quod non est Principis supremi, expresse derogare possit, Bonifac. de Vitalinis in d. Clem. 1. nu. 54. propter amplam potestatem, quam habet in beneficiis, c. 2. de praeben. lib. 6. Clem. 1. Ut lite pendente, Felin. in tract. quando lit. Apostol. Eccles. in princ. licet in dubio id velle non praesumatur, c. Cum dilectus de iure patron. Archidiacon. in c. 2. de praeben. lib. 6. Episcopus vero id non possit, quia tam amplam potestatem non habeat.

Debet autem contradictio fieri intra tempus, quod a jure patrono laico est constitutum ad praesentandum, cum beneficium vacat: hoc est in patrono laico intra quatuor menses, qui à die notitiae resignationis seu vacationis computantur, c. Quia diversitatem de concess. praeben. quia patronus laicus ad praesentandum quacumque vacatione occurrente quatuor tantum menses à die cognitae vacationis habet, c. Quoniam, c. Cum propter de iure patron. c. 1. §. ult. eod. tit. lib. 6. Idque sive jure suo